

P R Æ F A T I O

lastica tantis, etiam hodie, laudibus, & emolumentis versantur; in eoque constantissime perseverant: qui optime de me, benefactis suis ingentibus cumulado, sunt meriti) memoriam nullo gratæ mentis, & pietatis meæ testificandæ officio conseruare studerem: sed ingrato, ne dicam impio, sceleratoque silentio prorsus paterer euanescere; vel saltem inobscurari.

Quod ne fieret, ex quo hinc versatus sum, & tum illustrissimorum VVurttembergensium Principum, tum almae beneficijs Academiae frui coepi; tentavi quidem id, & diligentem dedi semper operam, ne ingrati crimen animi subirem; dum omnibus VVurttembergicis interim demortuis Principibus: omnibus tantum non, huius Academiae Professoribus, qui, annis ab hinc triginta tribus, ex hac vita decesserunt, vel orationibus publicis, demandatis ijs mihi partibus, non quidem vt debui, sed, ingenij pro tenuitate mei, potui, laudationes funebres habui; vel, mea sponte, sæpè vario, difficili, raroque poëmaticis genere iusta persolui: quod Orationes meæ, & Epicedia super his edita plurima testantur.

Verùm in hoc etiam toto prædicti temporis intervallo non enixè minus elaboravi; vt viuis illustrissimis VVurttembergiæ Principibus, & Academiae Patribus, ac Professoribus, quibusuis oblatis occasionibus, varijs de causis, in aduersis & acerbis rebus, eorum casibus condolendo, commiserando, consolando; in lætis, & optatò fluentibus acclamando, congaudendo, congratulando, gratitudinem meam, & obseruantiam publicè, studiij mei adminiculis, testatam facerem: quod officij, scripti-